

ut ex verbis Augustini jam relatis manifestum est. Sicut ergo voluntas illa antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, sufficit ut dicatur paratus omnes salvos facere; ita ut possit dici paratus omnes conferre donum finalis perseverantia, satis est quod eadem voluntate antecedenti illis omnibus dare velit. Unde in oratione Dominica jubetur tale donum a Deo petere, cum dicimus: *Adventus regnum tuum*, ut supra ex D. Thoma annotavimus, Et Tridentinum sess. 6. cap. 12. de illo sic ait: *De perseverantia monere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; nemo sibi certi aliquid absolutam certitudine pollicetur; tamen in Dei auxilio firmissimam spem colentem & repere omnes debent: Deus enim nisi ipsi illius gratia deservint, sine cuius operibus non possunt salvari, nec sine illius operibus esse salvati. Est ergo fidelis usque ad mortem, & Deus dabit illi coronam vite. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Ne respicias retro, sicut uxor Lot, quae (ut belle ait Augustinus) conversa est in statum salis, ut sicut suo conditio exemplo. Denique huic prudenti Divi Bernardi consilio morem gere: Tene quod tenes, hostias eandem iungo capiti, iunctam Dei gratia iam pollicitam, cura facere & salvare, quoniam cupisse nihil proderit, si, quod absit, perseverare non consideris. Sola enim perseverantia (ut supra ex Augustino vidimus) informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum ducit navigantem. Sola (addit Bernardus) aeternitatis quamdam speciem pra se ferit: sola est cui aeternitas redditur, vel quae aeternitati hominem reddit.*

DISPUTATIO II.

De Essentia Gratiae.

Ad quaestionem 110. D. Thoma.

**N**on agemus hic de essentia gratiae actualis, quia ejus consideratio pertinet ad Tractatum de auxiliis, sed solum de essentia gratiae habitualis, quae est nobilissima species gratiae, & gratiarum omnium fulgentissimum jubar, patensque omnium virtutum, quibus radiis cetera fulgent charismata, qua fides nitet, spes erigitur, scientia, prophetia, & aliae gratiae datae splendent, ipsaque caritas ignoscit ac fervet. Illa est, qua est quae lumine illustratur, cujus munditie a peccatorum facibus purgamur, cujus candore dealbamur, cujus pigmentis venustamur, cujus sanctitate sacerdotum Dei consecramur, cujus maiestate Reges equamur, cujus semine filii generamur, cujus denique virtute profusis divina delectamur.

Porro quia accidens potissime cognoscimus ex genere & differentia quibus constat, & ex subiecto in quo residet, ex quo etiam quandoque ejus differentia sumitur, ideo D. Thomas quatuor articulos hanc quaestionem absolvit. In primo genus remissionis gratiae investigat, in secundo agit de genere proximo, in tertio differentialem ejus conceptum inquirat, & in quarto de ejus subiecto disserit. Qui ordinem inhaerentes, & hujus S. Doctoris vestigia semper sectantes, totidem in hac disputatione de gratia sanctificante, dubia resolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum gratia sit aliquid intrinsecum in anima?

**P**Artem negativam tenent haeretici hujus temporis, existimantes gratiam non esse aliquid nobis insutum, sive in nobis existens, sed solum extrinsecum favorem & benevolentiam Dei, per quam anima est ipsi grata, & ab eo dilecta. Ita Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alii, quos referunt Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Decanus Lovaniensis art. 8. contra Lutherum, & Canisius lib. 5. de B. Virgine cap. 5. Ad eundem errorem accessit Pighius, vir aliquoquin Catholicus: nam lib. de gratia & libero arbitrio sic ait: *Imaginatur gratiam Dei, qualitatem aliquam creatam anima nostra a Deo, vel eandem cum caritatis habitu, vel distinctam ab eodem: qua communitatis universae existimo. Ut hic error prescribatur, & veritas Catholica stabilietur & explicetur.*

Dico: Gratia gratiam faciens est donum aliquid homini intrinsecum, seu in nobis existens, non vero solum extrinsecum Dei favor, vel amor.

Probatur primo ex Scriptura: Dicitur enim 2. ad Cor. 1. *Signavi nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris.* 1. Joann. 3. *Omnia qui nascuntur ex Deo, peccatum non faciunt, quoniam semen ipsius in eo manet.* Joann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, sitet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*

Sed pignus committitur, sigillum impressum, semen insutum, aqua fons et corde saturiens quid reale & intrinsece inhaerens aperte sonant: Ergo Scriptura his figuris, seu metaphoris, manifeste declarat, gratiam gratam facientem esse donum aliquid homini intrinsecum, eique

inhaerens. Item D. Joannes in 1. Epistola cap. 1. *Intimam & realem gratiam justificantis in cordibus nostris presentiam, sub unctiois metaphora significat, dicens: Unctio quam accepistis maneat in vobis: oleum enim secretiores corporum quibus insunditur partes attingit, penetrat, & pervadit, ac in eorum intima dilabitur & descendit.* Denique Apollolus ad Romanos 5. dicit caritatem (quae individua gratia comes est) diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: At quod effunditur in cordibus, illis insunditur, illis inhaeret: Ergo & gratia. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis & remiss. ait: *Deus nos sui spiritus occultissimam fidem dedit, quam latenter insundit & parvulis. Ubi certe de gratia habituali loquitur, cum ad parvulos minime spectet actualis.*

Probatur secundo conclusio ex Tridentino sess. 6. can. 11. ubi sic habetur: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, & tunc illis inhaeret; hanc etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Quae verba exponens Catechismus Romanus justitia per V. editus, Tractatu de Sacram. Baptismi, sic ait: *Est autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum sub praetextu anathematis decrevit) divina qualitas, in anima inherens, et veluti splendor quidam & lux, qua animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsaque animas pulchiores & splendidiore reddit.*

Probatur tertio ratione D. Thome hic art. 1. quae seipso proponit. *Hominem esse in gratia Dei, est illum esse a Deo dilectum, ut latetur haeretici: Sed hominem esse a Deo dilectum, importat aliquid ipsi intrinsecum: Ergo & esse ipsi gratum, seu gratia habituali praevidetur. Minor probatur: cum amor sit affectio, qua quis tendit in aliquid obiectum propter ejus bonitatem, in hoc conveniunt amor divinus & humanus, quod aliquam bonitatem respiciat; differunt vero in eo quod amor humanus, cum sit sterilis & infirmus, nec fit effectivus, sed tantum affectivus, supponit in obiecto bonitatem a qua afficitur & attrahitur: amor autem Dei, cum fit securidissimus & potentissimus, nec fit affectivus, sed effectivus, causat bonitatem in obiecto quod diligit. Unde D. Bernardus in soliloquiis exponens discrimen inter amorem Dei erga nos, & amorem nostrum ad Deum, sic ait: *Nos affectu, tu effectum unum nos in te efficiens.* Et cap. 4. de amore divino: *Non affectus a nobis, vel ad nos, cum nos amas, nos a te, & in te, & ad te affectum, cum amamus te.* Et D. Thomas 1. p. q. 20. art. 2. dicit: *Amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus. Sicut ergo Deus eligendo creaturas in ordine naturali, communicat eis perfectiones naturales, quibus sunt obiectum congruum hujusmodi dilectionis: ita diligendo creaturam intellectualem in ordine ad finem, per talem dilectionem in ea causat aliquam bonitatem & perfectionem supernaturalem, quae sit ratio formalis constituens illam in ratione obiecti congrui & proportionati talis dilectionis: & hanc perfectionem dicimus esse gratiam gratam facientem, quae reddit hominem Deo gratum & acceptum in ordine ad aeternam felicitatem.**

Obijcies primo: Praedestinatio includit specialem dilectionem Dei erga electos, juxta illud Malach. 1. *Jacob dilexi, & tamen non ponit semper in eis aliquid reale & supernaturale, cum interdum contingat praedestinatos esse in statu peccati & infidelitatis, subindeque omnibus donis supernaturalibus spoliatos: Ergo saltem est, est amor supernaturali Dei erga homines, debere causari in illis aliquid donum intrinsecum gratiae supernaturalis: & sic ruit praecipuum fundamentum conclusionis nostrae.*

Confirmatur: Odium Dei nihil ponit intrinsecum homini quem odit, sed tantum facit quod sit extrinsecum obiectum displicens illi, ut patet in pueris in limbo existentibus, quos odit Deus ut Auctor supernaturalis, & tamen nihil ponit in illis: Ergo similiter Deus per suum amorem nihil intrinsecum ponit in homine, sed solum facit illum esse obiectum extrinsecum suae dilectionis.

Ad objectionem respondeo praedestinatio non includere dilectionem Dei efficacem pro omni tempore (sepe enim Deus praedestinatum existentem in peccato mortali, secundum praesentem justitiam, simpliciter odit) sed solum pro aliquo tempore, quo statim praedestinatum gratiam conferre, unde praedestinatus gratiam confert pro tempore a Deo statuto, non vero eo tempore quo ex decreto Dei non est efficacis, sed suscipit effectum.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est primo, quia homo potest ex propriis habere unde fit obiectum odii Dei, nempe peccatum, non vero unde fit obiectum amoris Dei supernaturalis, nimirum bonum supernaturale, juxta illud Augustini: *Ignoscit quod meum est, agnosce rem quod est.* Secundo, quia amor est actus profectivus, unde si non supponat bonum in obiecto in quo tendit, debet illud ponere: odium vero est per modum fugae & recessus, quare non pertinet ad illud, aliquid in obiecto ponere, sed potius ab eo tollere.

Obij.

**7** Obijcies secundo: Ex amore, quo Deus assumpsit humanitatem Christi ad unionem hypostaticam, nihil supernaturaliter intrinsecum dimanavit in ipsam humanitatem, ante unionem: Ergo ex amore, quo Deus diligit hominem in ordine ad finem supernaturalem, non oportet derivari in ipsum aliquid donum intrinsecum & supernaturale, ante & praeter consecutionem beatitudinis supernaturalis.

**8** Confirmatur: Etsi amor Dei respectu beatitudinis debeat esse efficacis, & causa rerum, poterit esse causa aliorum auxiliorum vel donorum supernaturalium: Ergo ex illa ratione non sequitur gratiam habitalem debere poni intrinsece in homine.

**9** Respondeo ad objectionem, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia amor ad unionem hypostaticam terminatur, est respectu existentiae & personalitatis divinae, quae teste D. Thom. 3. p. q. 6. art. 6. ad 1. immediate unitor humanitati, sine aliqua dispositione previa: amor vero in ordine ad beatitudinem, est in ordine ad operationem, quae ut fit perfecta & conaturalis, debet supponere gratiam, ut naturam quae sit conaturalis.

**10** Ad do quod humanitas Christi est sancta substantialiter, anima vero iustorum accidentaliter tantum sancta sunt; potest vero intelligi aliquid esse sanctum substantialiter, absque forma intrinsece recepta, dum tamen sit ipsi intrinsece unita in ratione termini, esse tantum favorem Dei, accidentaliter, & cum sola tendentia ad unionem cum Deo per operationem, petit insensibiliter gratiam creatam, & anime inherentem, nec praestari potest a sanctitate increata; quia hujusmodi effectus requirit informationem, cum sit ad constituendum compositum accidentale, & non ad terminandum substantialiter in ratione existendi vel subsistendi.

**11** Ad confirmationem dicendum est, gratiam causari in homine ex amore supernaturali Dei, non quocumque & imperfecto, sed perfecto, quo vult illi visionem beatificam, ut digno, ac suo haeredit; nam talis amor, pro tempore quo est efficacis, causat in homine gratiam, per quam participat naturam divinam cui debetur beatitudo ut haereditas. Unde triplex debet in Deo distinguere dilectio: una pure naturalis, quae Deus diligit creaturas omnes in ordine naturali, juxta illud Sapient. 11. *Diligis omnia quae sunt, & nihil odisti creatura quae fecisti:* alia supernaturalis imperfecta, quae oritur a ratione, quae causat a Deo dilecta secundum quid & inchoative, in ordine ad aeternam felicitatem: altera denique perfecte supernaturalis, quae homo simpliciter & perfecte diligit a Deo in ordine ad aeternam beatitudinem. Per primam bona duntaxat naturalia, ut esse, vivere, & intelligere, creaturis communicantur: per secundam conferuntur homini fides, spes, & auxilia sufficientia, quae possunt compati cum peccato mortali, & cum odio & inimicitia Dei: Ex tertio vero donum gratiae sanctificantis promanant, quae homo fit simpliciter Deo gratus & acceptus in ordine ad aeternam beatitudinem.

**12** Obijcies tertio: Amor divinus praesupponit bonum in homine quod sit motum dilectionis Dei: Ergo ratio D. Thome saltem supponit, dum ait quod amor Dei causat in homine bonum, & non supponit illud. Consequentia patet: Antecedens probatur primo ex illo Hier. 43. *Ex quo honorabilis factus es & gloriosus in oculis meis, ego dilexi te.* Quo significata dilectionem Dei non causasse, sed supposuisse quod homo fuerit honorabilis & gloriosus. Secundo probatur idem Antecedens: Deus amat hominem in ordine ad beatitudinem propter merita: Ergo amor divinus praesupponit, & non causat bonitatem meritorum, sine quibus non daret gloriam. Probatur tertio: Obiectum praesupponitur, & praesupponitur ad actum: Sed bonum quod relucet in creaturis, est obiectum divini amoris: Ergo ad ipsum praesupponitur & praesupponitur.

**13** Respondeo negando Antecedens: Ad ejus primam probationem respondet D. Thomas ibidem, dilectionem Dei fecisse hominem gloriosum & honorabilem, & ita illam particulam; *Ex quo*, non significare causam, sed concomitantiam, vel signum dilectionis, & effectum illius.

**14** Ad secundam probationem nego Antecedens: nam licet Deus in ordine executionis det gloriam propter merita, in ordine tamen intentionis, prius vult gloriam quam merita, immo quia vult hominis gloriam, dat ei merita quibus illam consequatur, juxta illud D. Prosperi 2. de vocat. Gentium cap. 35. *Deus his quos elegit sine meritis, dat unde ornentur ex meritis.* De quo plura diximus in Tractatu de praedestinatione disp. 2. art. 1.

**15** Ad tertiam respondeo primo, obiectum praesupponi ad actum, quando ille est mere speculativus, scens vero si sit practicus, quia tunc est ejus effectus, & per consequens posterior illo. Unde scientia visionis in Deo, quia est eminenter speculativa & practica, non supponit suum obiectum, sed illud facit, nec mensuratur a rebus,

sed est illarum mensura, et ostendimus in Tractatu de scientia Dei disp. 3. art. 2. & expressit docet Greg. Mag. Moral. cap. 23. his verbis: *Qua sunt non ab aeternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.* Et lib. 32. cap. 6. *Non existens videntur continet.* Idem cum proportione de amore Dei dicendum est cum ille sit practicus & operativus, & ut loquitur S. Thom. supra relatus. *Sit infundens & creans bonitatem in rebus.*

Respondeo secundo, obiectum praesupponi ad actum, quando est primatum, & exercet causalitatem finis vel formae respectu actus, ut accidit in obiecto cognitionis aut volitionis create, scens vero si obiectum sit tantum secundarium, & nullam circa actum causalitatem exercet, ut contingit in obiecto creato respectu scientiae visionis Dei, & dilectionis ipsius.

Respondeo tertio, quod sicut intellectio potest dupliciter spectari, scilicet ut productio verbi (sub quo conceptu dicitur dictio) & prout est pura obiecti contemplatio in ipso verbo; ita amor Dei potest considerari ut est volitio efficacis & practica sui obiecti, & ut habet rationem dilectionis simplicis, sive complacentiae. Unde sicut intellectio ut dictio est prior verbo; posterior vero, ut est pura contemplatio obiecti in verbo: ita amor Dei, ut efficacis & practicus, est prior bonitate quam communicat creature; si vero consideretur praecise sub conceptu pure dilectionis, sive complacentiae, non est prior; immo sub hac ratione potest esse posterior, non quidem quoad entitatem, sed quoad suam terminationem.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sanctificans sit qualitas & ejus speciei?

**O**scander in sua harmonia Evangelica asserit gratiam sanctificantem esse potius substantiam, quam qualitatem. Fundamentum ejus est, quia gratia nihil aliud est quam justitia & sanctitas ipsius Dei, ut constituitur hominem iustum & sanctum, sicut lux solaris nihil est aliud praeter praesentiam ipsam Solis supra horizontem, seu totum hemispherium; unde cum Dei sanctitas non sit accidens, sed substantia, etiam gratia per quam sanctificamur est substantia. In eandem sententiam seu potius errorem, declinare videtur Magister sententiarum in 1. dist. 17. ubi docet veritatem, qua diligitur Deum, non esse aliud quam ipsum S. Sanctum, & specialiter ineffabili modo voluntati nostrae unitum.

Verum hic error prescriptus est a Trid. loco supra adducto, ubi de cetero causam formalem nostrae justificationis esse justitiam Dei, non qua ipsi iustus est, sed qua nos iustus facit; additque eam nobis inhaerere, quod de nulla substantia verificari potest. Ad do quod Deus non potest uniri intrinsece alicui, nisi ad modum speciei impletae, vel per modum substantiae & personalitatis; alia enim genera unionum, cum importent informationem, non possunt ab imperfectione praescedi: Sed substantia divina non unitur anima iusti in ratione speciei, alias omnes iusti viderent Deum; neque in ratione substantiae, cum illa subsistat per propriam personalitatem: Ergo gratia sanctificans non est ipsa Dei substantia, ut unita immediate anime, sed aliquid accidens creatum in ea receptum, & ipsi inhaerens. Unde solum restat discutendum, ad quod praedicamentum illa pertinet, & ejus speciei sit? Pro cuius resolutione

Dico, gratiam sanctificantem esse qualitatem, non substantiam, sed permanentem, subindeque non esse dispositionem, sed habitum.

Prima pars patet ex dictis: Nam supposito quod gratia sanctificans non sit substantia, sed accidens, non potest ad aliam categoriam quam ad qualitatem pertinere: non enim potest esse quantitas, cum haec sit proprietates materiae, & solis rebus corporeis conveniat; neque relatio, cum haec sit debilissima & minutissima entitatis, & magis ad aliquid, quam aliquid, ut docent Philosophi, neque actio aut passio, cum non sit haerens & transiens, sed habeat esse fixum in anima, ut statim dicemus; nec denique potest pertinere ad aliquid ex sex ultimis praedicamentis, quia illa semper consequuntur rebus corporeis: Ergo solum potest in categoria qualitatis reponi. Unde Catechismus Romanus articulo praecedenti citatus ait: *Gratia est divina qualitas anima inhaerens.*

Quod vero sit permanentem in anima, subindeque habitus, & non dispositio, colligitur ex locis Scripturae art. praecedenti relatis, in quibus gratia vocatur pignus, signaculum, fons, quae significant aliquid habituale & permanentem. Item 1. Joann. 3. dicitur: *Omnia qui ex Deo nascuntur, non peccant, quia semen Dei manet in illis.* Et Joann. 14. *Ad nos venimus, & mansionem apud eum faciemus.* Unde D. Gregorius hom. 5. in Ezech. recte advertit, quod S. Sanctus in Scriptura mobilis simul dicitur & stabilis; stabilis, quia in corda sanctorum per quasdam virtutes ita venit, ut permaneat, quales sunt fides, spes, caritas, &c. mobilis vero, quia per alias virtutes ita venit, ut recedat, & non

& non continuo fit in anima, cuiusmodi sunt prophetia, genera linguarum, operatio miraculorum, & omnia gratia actualis auxilia.

21. Potest etiam hac pars hac ratione D. Thom. suaderi: Deus non minus providet hominibus quos diligit in ordine ad finem supernaturalem, quam creaturis quas diligit in ordine ad bonum naturalem: Sic autem illis providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam ipsis largiatur formas, & virtutes quasdam, seu qualitates fixas & permanentes, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinarentur ad huiusmodi motus, ut patet in lapide, cui dedit gravitatem, ut conaturaliter moveatur ad centrum; & in igne, cui levitatem indidit, ut conaturaliter ferretur ad locum sursum: Ergo multo magis debet infundere aliquas formas, five virtutes & qualitates supernaturales, permanentes ac fixas, illis quos movet ad finem supernaturalem, per quas prompte, & suaviter ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum.

23. Obijcies primo contra primam partem conclusionis: Si gratia sanctificans poneretur in predicamento qualitatis, esset imperfectior & ignobilior qualibet substantia creata: Sed hoc dici nequit, ut infra patebit: Ergo nec illud. Sequela Majoris videtur manifesta, cum enim qualibet qualitas sit modus quidam substantiae, totum qualitas genus est imperfectius simpliciter toto genere substantiae: Ergo si gratia sanctificans ponatur in predicamento qualitatis, erit essentialiter imperfectior quocumque substantia.

24. Respondeo negando sequela Majoris, ad cuius probationem dicendum, quod licet totum qualitatis genus, praesertim secundum rationem genericam, & secundum ea quae habet ex suo gradu, sit imperfectius genere substantiae, totum tamen qualitatis genus, prout contractum per differentias, & ad varias species diffusum, est perfectius genere substantiae, secundum aliquam partem, sub qua gratia ipsa continetur. Neque hoc est peculiare in hoc genere: multa enim alia reperiantur, quae ex ratione generica, cum praesertim sumpta, sunt perfectiora aliis, a quibus tamen ex ratione specifica exceduntur. Nam amor Dei super omnia qui habetur hic in via, praestatur ejus cognitio, quae habetur per fidem, secundum rationem specificam, cum tamen ab ea excedatur secundum rationem genericam intellectus. Item omne corpus vivens, ex ratione vivens, est perfectius quolibet corpore caelesti, & tamen quolibet corpus caeleste ex ratione generica corporis incorruptibilis, excedit omne corpus vivum; utpote ex sua natura corruptibile.

25. Obijcies secundo contra secundam partem: Habitus est qualitas habens esse fixum, & permanens in subiecto, & ad eo difficile mobilis: Atqui gratia sanctificans non habet esse fixum & permanens in anima, sed facile ab ea expellitur, cum per unicum peccatum mortale amittitur: Ergo non est habitus, sed dispositio.

26. Respondet D. Thom. q. 27. de veritate art. 1. ad 9: Quod quantumvis per unum actum peccati mortalis gratia amittatur, non tamen facilo gratia amittitur, quia habentis gratiam non est facile illum actum exorire, propter inclinationem in contrarium, sicut Philosophus dicit in 5. Ethic. quod iusto difficile est operari injuste. Adde quod, licet gratia hic in statu viae per accidens sit variabilis, & facile mobilis a subiecto, ob imperfectam ejus participationem, & quia non est in suo statu conaturali; per se tamen, & ex natura sua, petit diu in subiecto manere, & difficile ab eo avelli; quia per se habet causas firmas & stables: unde in patria, ubi erit in suo statu conaturali, erit omnino incorruptibilis, & inamissibilis, nec mensurabitur tempore, aut aetate, sed aeternitate participata.

ARTICULUS III.

An gratia habitualis sit forma entitativa supernaturalis?

Hujus questionis resolutio haberi nequit, nec demonstrari supernaturalitas gratia sanctificantis, nisi prius declaratur in quo consistat essentia, seu ratio formalis supernaturalitatis: quae difficultas adeo obscura & involuta est, ut Theologorum ingenia non parum torqueat, eosque in variis dicendi modis abire compellat.

27. Primus est Scoti q. 1. prologi, & in 4. dist. 10. q. 6. ubi docet supernaturalitatem esse conditionem accidentariam entis creati: ex eo enim solum putat aliquid dici supernaturale, quod producitur a causa agente supra regulas naturae, five supra modum quo ex sua natura exigitur produci.

Sed hac sententia communiter rejicitur: Tum quia non distinguit inter supernaturalia intrinsece, five quoad entitatem, & extrinsece, five quoad modum, contra communem Theologorum consensum, admittentium entia supernaturalia intrinsece & entitativa; immo & contra fidem, eadem etiam altruentem: Tum etiam, quia actus fidei, contritionis, & dilectionis, non sunt praeter regu-

las & modos quibus exigunt ex sua natura produci, & ipsa gratia sanctificans, dum infunditur a solo Deo, producitur juxta modum quem ex natura sua postulat, & tamen hac quoad suam entitatem supernaturalia sunt; & contra vero visus caeco nato restitutus, est quoad suam entitatem naturalis, & tamen praeter regulas communis naturae producitur.

Secundus dicendi modus, praecedenti affinis, est Abulenensis 2. Regum cap. 4. quae. 24. ponentis supernaturalitatem entis creati in habitu ad solum Deum ut causam, ita ut res illa supernaturales dicantur, quae a solo Deo producuntur; naturales vero, quae a creaturis possunt produci.

Sed hac etiam opinio probabilitate caret: quia Angelicam, immo & materia prima, omnium entium imperfectissima, solum Deum ut causam respiciunt, & tamen sunt entia naturalia: & contra vero actus fidei & caritatis sunt supernaturales, & tamen producuntur ab homine, & non a solo Deo: Ergo supernaturalitas non consistit in habitu ad solum Deum, ut causam.

Tertia opinio docet ens naturale distingui a supernaturali essentialiter, per hoc quod istud dicitur causam efficiantem ad Deum ut unum & trinum, tamquam ad causam efficientem & finalem: illud vero respicit Deum solum ut est in se unus in natura, non vero ut est trinum personis.

Sed hic etiam modus dicendi, relatus a Joanne Vincentio Asturicensi, relect. de gratia Christi q. 1. fol. 11. a veritate aberrat. Et potest impugnari, primo quia nullum ens creatum, etiam supernaturale, respicit Deum formaliter ut trinum, tamquam causam efficientem & finalem: Deus enim habet rationem primi principii & ultimi finis, in quantum est omnipotens, & summum bonum; omnipotens vero, & bonus, cum sint attributa absoluta, conveniunt Deo ut uni, & ut praetellecto relationibus & personis: unde relationes, quibus Deus ut trinus constituitur, non sunt operativa ad extra, & nullam habent bonitatem & perfectionem, praeter eam quam accipiunt a divina essentia, in ipsis transcendentaliter inclusa, ut in Tractatu de Trinitate ostendimus disput. 3. art. 5.

Secundo impugnatur: Deum esse supernaturalem, est ipsum esse supra omnem naturam creatam & creabilem: Sed Deus unus, & praetellectus Trinitati, est supra omnem naturam creatam & creabilem, cum sit ens a se, infinitus, & actus purissimus; quae perfectiones nulli potest convenire creatura: Ergo Deus ut unus, & ut praetellectus Trinitati, est supernaturalis.

Confirmatur: Si per impossibile Deus non esset trinus, non posset videri ab intellectu creato, nisi ejus essentia concurrerit in ratione speciei, & per virtutem supernaturalem elevantem, ut convincunt omnia argumenta, quibus in Tractatu de visione beata ostendimus Deum, ut de facto est in se Unus & Trinus, videri non posse sine lumine gloriae, & essentia divina in ratione speciei concurrente: Ergo Deus ut unus, & ut praetellectus Trinitati, est supernaturalis. Unde cum supernaturalitas entis creati sit quaedam participatio, & veluti expressio divinae supernaturalitatis, in habitu ad Deum, ut Trinum, non potest formaliter consistere. Quare

Multi ex Recentioribus volunt eam sitam esse in habitu ad Deum, prout non est cognoscibilis ex creaturis. Alii in hoc quod nulli creaturae potest esse conaturalis. Ita Cajetanus 1. p. quae. 12. quem sequitur ibidem Nazarius. Verum hi modi dicendi explicat magis quid non sit supernaturalitas, quam quid sit, sicut & ille quo assertur ens supernaturale esse illud, quod a nulla creatura, propria virtute, nec a Deo ut auctore naturae produci potest. His ergo, & similibus modis explicandi supernaturalitatem relictis, ut clare veritas aperiat.

Notandum primo: quod cum supernaturalitas entis creati sit (ut supra dicebamus) quaedam participatio & veluti expressio divinae supernaturalitatis, hac ignorata, non potest plene intelligi quid illa sit: quare prius investigandum est, quid sit in Deo supernaturalitas, ut inde postea declaratur, quid illa sit in creaturis.

Notandum secundo, Deum esse supernaturalem, non esse aliud, quam ipsum esse elevatum supra totam naturam creatam & creabilem, quoad omnia quae in natura creata & creabili reperiuntur: sicut enim celi & Angelis sunt supernaturales secundum quid, quia illi elevantur in suo esse supra omnem naturam sublanarem & corruptibilem; isti vero etiam supra totam naturam corpoream: ita Deus ex eo dici debet supernaturalis simpliciter, quod elevatur supra totam naturam creatam & creabilem, quoad ea quae ex se habet: Non excedit autem Deus naturam creatam, & creabilem in esse, vivere, aut intelligere praesertim; quia haec omnia dispersa reperiuntur in creaturis, sed in modo quodam ista habendi, scilicet sine admixtione ullius potentialitatis & imperfectionis. Quare Deus esse supernaturalem, proprie & simpliciter, non est aliud,

est aliud, quam ipsum esse totam essendi plenitudinem, ac proinde ipsum esse irreceptum, & per se subsistens, actum purum infinitum, &c. haec enim nulli creaturae communicari possunt; cum repugnet ipsum esse per se subsistens & irreceptum communicari, ut demonstratur in Tractatu de attributis, cum agitur de unitate Dei. Unde quavis Trinitas personarum in una simplici essentia eminentiam importet, creaturae limitationi repugnantem, in ea tamen licet supernaturali, non est sita per se primo Dei supernaturalitas, sed in alia jam descripta, eminentia, se in modo habendi omnes gradus essendi, ex quo veluti ex ratione a priori, nostro modo intelligendi, oritur Trinitas Personarum in una simplici essentia: Natura enim Divina sacunditas ad intra perfectiones immanentes intellectus, & voluntatis, provenit ex omnimoda illa essendi plenitudine, & infinitate Dei, ut docetur in Tractatu de Trinitate.

Hinc sequitur supernaturalitatem creatam, quae (ut supra dicebamus) est veluti quaedam imago & expressio in creatura, consistere in participatione earum perfectionum, quae sunt propriae Deo, in quantum est elevatus supra totam naturam creatam & creabilem, & quae illi conveniunt, quatenus est ens a se, & ipsum esse irreceptum & illimitatum, habetque totam essendi plenitudinem. Quod ut magis declaratur,

Tertio observandum est, Deum, in quantum est ens a se, & plenitudo essendi, habere duo genera perfectionum: quaedam enim sunt quae non possunt communicari ad extra, secundum eam rationem formalem qua Deo insunt: quia oportet quod communicaretur tota essendi plenitudo, quod est impossibile. Huiusmodi autem sunt; esse a se, esse actum purum, esse simpliciter infinitum, esse Trinum in personis cum una essentia, esse omnino simplicem, esse essentialiter intelligendum in actu secundo, esse simul objectum, speciem, verbum, & intellectionem, absque reali distinctione; haec enim & similia non possunt formaliter reperiiri, nisi in eo qui habet totam essendi plenitudinem. Aliae vero sunt perfectiones, quae possunt ad extra communicari, secundum illam rationem qua sunt Deo propriae; dimittunt tamen & inadequate. Huiusmodi autem, sunt respicere ipsum Deum tamquam objectum conaturale, cognoscendo & amando, & tamquam finem conaturalem: hoc enim, quamvis non possit in creaturis reperiiri in eo gradu perfectionis quo Deo convenit, quia Deus respicit seipsum tamquam objectum conaturale, modo infinito, & se omnino adequando & comprehendendo, quod nulli creaturae ob limitationem competere potest; consensu tamen potest creatura, ut respiciat Deum prout in se est, per actus cognitionis & amoris, tamquam finem & objectum aliquo modo conaturala.

Et hoc est proprie participare ad quod est proprium Deo: Nam participare aliquid, est partem illius capere, & partem relinquere; ex eo vero quod creatura communicatur respicere Deum ut est in se tamquam objectum & finem conaturalem, modo tamen finito & limitato, partem capit illius quod est Deo proprium, tendentiam scilicet conaturalem in divinam essentiam, & bonitatem incrementi; & partem relinquit, modum scilicet infinitatis, illimitationis, & comprehensionis, quo Deus seipsum cognoscit & amat.

Ex his facile demonstrari potest, gratiam sanctificantem esse formam entitativam supernaturalem. Nam supernaturalitas creata consistit essentialiter in habitu ad Deum vel immediata ad Deum ut est in se, tamquam ad objectum specificativum, & finem conaturalem. Atqui gratia sanctificans talem habitudinem importat: Ergo est entitativa supernaturalis. Major patet ex principiis jam statutis: Minor etiam manifesta est. Gratia enim sanctificans est radix cognoscendi & amandi Deum ut est in seipso, quatenus est radix fidei, luminis gloriae, & caritatis, quae Deum ut est in se, tamquam objectum conaturale & specificativum respiciunt: Ergo mediate saltem (mediantibus scilicet virtutibus, quae ab ipsa emanant; ut proprietates ad essentia) dicit habitudinem ad Deum ut est in se, tamquam objectum specificativum, & finem conaturalem.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Cum gratia sanctificans sit participatio naturae divinae, in quantum natura est, ut dicemus articulo sequenti, & natura divina, in quantum huiusmodi: sit formalissime actualis intellectus sui, & quasi specificatur, dicatur formaliter eminenter habitudinem ad seipsum, ut clare & perfecte cognoscibilem, & ratione talis esse eminentis ita se respicientis, sit virtus aliter talis attributorum, respicientium etiam per se primo Deum ut est in se, tamquam objectum omnino conaturale, oportet necessario quod gratia habeat de illo esse eminenti naturae divinae, quod ab ipsa specificatur; non quod eam immediate respiciat tamquam objectum specificativum, cum gratia non sit immediata operativa, sed quod per modum radicis virtualiter fundat principia attingendi Deum ut est in se, per actus cognitionis & amoris: ex hoc enim habet respicere me-

diare essentiam divinam, tamquam objectum a quo specificatur, quamvis eam immediate per seipsum non attingat.

Confirmatur secundo: Virtutes Theologicae, respiciendo Deum ut in se est tamquam proprium specificativum, participant intrinsece aliquam perfectionem illius, excedentem omnes vires naturae creatae & creabiles; v. g. caritas fertur in Deum ut est summum bonum, participando ab illo majorem inclinationem in suam objectum, quam sit possibilis omni creaturae, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2. similiter fides, respiciendo Deum ut est prima veritas participat ab illo majorem certitudinem, quam sit possibilis per naturam; unde quilibet fidelis est paratus negare omnem evidentiam naturalem: potius quam fidem: idem proportionaliter reperitur in aliis virtutibus: Ergo pariter gratia sanctificans, quae est illarum radix, & a qua emanant, ut proprietates ad essentia, participat aliquam perfectionem Deo propterea, ac excedentem perfectiones totius naturae creatae & creabiles, subindeque est intrinsece & quoad entitatem supernaturalis. Consequentia patet, quia debet esse proportio gradus inter habitus & proprium ac conaturale principium illorum.

Confirmatur tertio. Si gratia sanctificans esset solum supernaturalis quantum ad modum, non esset magis supernaturalis, quam visio miraculose restituta caeco nato, quae dicitur supernaturalis quantum ad modum, quia modo supernaturali & extraordinario producitur: Sed hoc videretur plusquam absurdum, cum gratia sanctificans sit principium & radix meriti vitae aeternae, & semina gloriae & visionis beatificae, juxta illud Apostoli Gratia Dei vitae aeternae: Ergo est supernaturalis entitativa, & quoad substantiam.

Obijcies primo: Supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitu ad Deum ut est in se: Ergo ruit praecipuum fundamentum nostrae sententiae. Consequentia patet ex supra dictis. Antecedens probatur primo: quia donum scientiae est ordinis supernaturalis, & tamen teste D. Thom. 2. 2. quae. 9. art. 2. in corp. & ad 3. tendit ad Deum per creaturas, subindeque non respicit illum ut est in se. Secundo probatur: Virtutes morales in se sunt supernaturales; & tamen non tendunt ad Deum ut objectum specificativum & conaturale; cum hoc sit proprium virtutum theologicarum, & donorum: Ergo supernaturalitas creata non consistit essentialiter in habitu ad Deum ut est in se.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius primam probationem dico, donum scientiae non ita in Dei cognitionem ex creaturis procedere, quin totus ille processus imitatur formaliter divino testimonio, quod est ratio formalis objecti fidei; dona enim Spiritus Sancti imitantur virtutibus theologicis, & ideo tendunt in Deum ut est in se, tamquam in objectum specificativum. Ad secundam probationem dicendum, quod quamvis virtutes morales in se non respiciant immediate Deum tamquam finem conaturalem, mediate tamen in ipsum tendunt, quatenus respiciunt immediate objectum ut regulatum per prudentiam in seipsum, quae mediante fide & caritate attingit Deum ut est in seipso.

Obijcies secundo: Gratia sanctificans non est habitus operativus: Ergo non potest Deum ut est in se attingere per modum objecti specificativi, aut finis conaturalis: subindeque nec esse entitativa supernaturalis, si supernaturalitas consistit in habitu ad Deum ut est in se tamquam in objectum specificativum, aut finem conaturalem.

Respondeo quod licet gratia sanctificans non sit habitus proxime & immediate activus, est tamen habitus operativus remote & radicaliter, quia ab ipsa emanant virtutes infusae, & dona Spiritus Sancti, quae sunt principia proxima & immediata operandi in ordine supernaturali: unde est principium radicale attingendi Deum ut est in se, per modum objecti specificativi, & finis conaturalis, quod sufficit ut sit entitativa supernaturalis: supernaturalitas enim creata, ut supra diximus, consistit in habitu ad Deum vel immediata ad Deum, ut objectum specificativum, aut finem conaturalem. Quare non solum gratia sanctificans, sed etiam auxilia, quibus ad illam disponimur & ad actus supernaturales movemur, sunt intrinsece & entitativa supernaturalia: quia mediate saltem tendunt in Deum ut est in se, tamquam in finem ultimum conaturalem, ex eo quod sunt principia actuum, qui ad Deum ut est in se immediate terminantur.